

bus Apostolicis dicendum est, quorum receptio, sexto ineunte Sæculo, nil eorum auctoritari detrudere debet.

2. 11. Historiam, quæ capite 22. à Luca narratur Evangelista de Christi sudore sanguineo, deque Angelica ad ipsum consolatione, serò in canone locum obtinuisse, ex Sancto Hilario colligitur: (t) „ nec sanè, inquit, ignorandum nobis est, & in græcis, & latinis codicibus complurimis, vel de adveniente Angelo, vel de sudore Christi sanguineo, nihil scriptum reperiri; ambigentibus igitur, utrum hæc in libris variis aut desint, aut superflua sint, incertum hoc nobis relinquatur, de diversitate librorum ”. Eam autem ab Orthodoxis antiquitus fuisse rejectam, in libro anchorato Epiphanius fatetur. ” Flevit etiam Christus, inquit, velut in Evangelio secundum Lucam habetur in exemplaribus incorruptis; & utitur eo testimonio Sanctus Irenæus in opere contra hæreses adversus eos, qui Christum in apparentia apparuisse dicunt; verùm orthodoxi quidam substulerunt verbū, timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac vim, & robur; constitutus enim Christus in anxietate sudavit, & fuit sudor ipsius velut guttæ sanguinis, & conspectus est Angelus confortans ipsum ”. Cur autem tùm historiam illam, tùm Christi fletum antiqui Patres rejecerint, tanquàm supposititia, cum re-

t Hil. 10. de Trinit.